



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Parmensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Romani Pontificis Lib. XV. 695

* Vide supra
epist. 182. 183.

in Provincia nuper hæreticos & in Hispania fidelium exercitui tam mirabiliter quam misericorditer innumeros dignatus est subdere Agarenos, sic potens est vestram ad nihilum deducere civitatem. Inspiret ergo Dominus vobis consilium salutare, ne inducatis vos ipsos in illum necessitatis articulum quod mox frustra clamantes exaudire denique non possimus, & sic fera poenitentia post ruinam. Datum Laterani xii. Kalen. Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Scriptum est in eundem fere modum illis omnibus super hoc. In eundem fere modum Archiepiscopo Remensi scriptum est & Suffraganeis eius usque civitatem. Quocirca monemus atque præcipimus quatenus convenientes in unum, & habito super iis diligenti tractatu, vestrum nobis consilium rescribatis.

Vide supra
epist. 178.

In eundem fere modum scriptum est populo Alexandrino & Spiritum consilij sanioris. Cum illam recolimus &c. usque convertatur & sanem eum. Cum enim nuper paterna vos curaverimus benignitate monere ut à sequela Othonis & ejus sequacium penitus recedentes, ad devotionem rediretis Ecclesie matris vestrae, alioquin privilegiis vobis ab eadem concessis sciretis vos perpetuò spoliandos, cum propter ingratitude vitium libertus in servitutis compedem revocetur, vos monitis nostris prorsus contraria facientes, offensam cumulatam offensae, & injuriam injuriae addidistis, contra dilectos filios cives Papienses, quibus ecclesiasticae unitati, sicut lucis filii, adherentibus adherere pro nostra reverentia deberetis, insurgere præsumentes. Cum igitur ex utraque parte fuerint quidam capti, volentes, sicut ad nostrum officium spectat, ut suae parti restituantur utrique, universitatem vestram monemus attentius & rogamus, sub debito fidelitatis quo nobis tenemini vobis districtè præcipiendo mandantes quatenus si qua remansit in vobis devotionis scintilla in præsentem, si ullam habetis præteritorum memoriam, si denique apud nos spem aliquam vobis reservare cupitis in futurum, ad sinum Ecclesie matris vestrae humiliter redeuntes, concives suos sine difficultate restituantis eisdem, vestros ab eis mutuò recepturi, ita ut plena fiat restitutio hinc & inde, mandatum nostrum taliter adimplentes ut vobis offensas vestras hoc devotionis indicio redimentibus, nobis fiat proclivior animus ad dandam super aliis veniam, & vobis detur fiducia plenior ad pe-

tendam. Alioquin, si super præmissis de cetero inobedientes nobis & rebelles fueritis, noveritis nos venerabili fratri nostro Episcopo & Archidiacono Parmensibus nostris dare litteras in mandatis ut unio- nem Ecclesie Aquensis & vestrae nostra fulti auctoritate dissolvant, vestramque terram pontificali dignitate denuntient perpetuò esse privatam. Quod si nec sic vestra poterit rebellio edomari, manum apostolicam aliàs super vos taliter aggravare curabimus quod eam abbreviatam non esse, vexatione intellectum dante auditui, cognoscetis. Datum Laterani iv. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO PARMENSI.

Iohanne laico & G. muliere in tertio affinitatis gradu distantibus, idem Iohannes volens filiam ipsius G. natam ex secundis nuptiis ducere in uxorem, ac timens ne hujusmodi copula alicui possit calumnie subjacere, nobis humiliter supplicavit ut pro bono pacis, quam ex eorum matrimonio asserit proventuram, eandem ducendi sibi licentiam concedere dignemur. Quocirca mandamus quatenus, si aliud impedimentum canonicum non obstitit, ipsis licentiam tribuas contrahendi. Datum Laterani xi. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno quintodecimo.

EPISCOPO GEBENNENSI, & Viennensi Sacriste.

Inquisitionis negotium quam de venerabili fratre nostro Episcopo & Canonicis Valentinesibus vobis commisimus faciendam sine conscientie scrupulo exequi cupientes, apostolico petistis oraculo edoceri utrum eorum publicanda sint dicta & nomina quos interrogari contingit, prout de testibus in publicis causis fieri consuevit, an sola dicta eorumdem publicari sufficiat, cum idem Episcopus & Canonicus manifestè sciant qui fuerint inquisiti & utrum contra dicta eadem debeant exceptiones seu replicationes admitti, cum contra personas dicentium admittantur. Ad quod breviter respondemus, non solum dicta, sed etiam ipsa nomina, ut quid à quo sit dictum appareat, publicanda, & exceptiones seu replicationes legitimas admittendas, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum audacia præbeat. Secundò quaesistis quid à vobis sit statuentum si contra quempiam per inquisitio-

* Vide tom. 19.
Italiae sacre
pag. 447. &
1099.

Epist. 190.
Dispensat sum
per cognatio-
nem.

Epist. 191.
Responder ad
eorum consul-
ta.
Cap. Inquisi-
tionis. De ac-
cusat.

* In quart. col.
additur, no-
minibus tacitis